Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

etiam totius orbis dominationem sibi
affectare temptavit. Quod augu-
stus audiens, a brundisio calabri-
e transiit in epyrum ubi iam antonius
omne acciacum occupaverat litus
copioso navium apparatu. Ubi cum
ad prelium ventum est, et augusti clas-
ses eius turbavere navigium, et
bellicum contrivere apparatum, prima
dux fuge regina puppi veloque pur-
pureo signum fuge in altum dedit.
moxque eam secutus antonius cum eadem
se in alexandriam recepit. et sic ex-
icialibus eius ausis finem dedit.
Regina autem forme sue con-
fisa quam in duobus iam principibus
impudice erat experta, oculos augu-
sti temptare aggreditur. sed frustra,
quia infra pudicitiam principis eius
pulchritudo despecta redigitur. Illa
vero ubi desperavit, seque triumpho
servari cognovit, incautiorem
nacta custodiam, in regium se
recepit mausoleum, ibique regios
induta cultus in referto odoribus
conditorio iuxta suum se collocavit
antonium, admotoque uberibus aspi-
de, sic in mortem resoluta est sicut
in somnum. Ita victor augustus
cum tota alexandria potitus egip-
to, victrices urbi aquilas cum mag-
na gloria reportavit, et cum mul-
tiplici victorie triumpho suscipi
meruit. Quid autem nostra refert
de fastis et cronicis huc transscribere
multiplicem huius triumphi pompam,
non ad eruditionem ecclesie et principis
apostolorum gloriam? Quis vero huius
triumphi magnificentiam satis ex-
plicare queat? Quis captivas
egypti divitias, que triumphantis
currum precedebant enumerare suffi-
ciat? Quicquid enim divitiarum ac pre-
ciose supellectilis in auro, gemmis,
ebore, vel purpura a notissimo il-
lo rubri maris pharaone usque ad
id in thesauros egypti pharaonum
et ptolomeorum contulit magnificentia,
quicquid a famosissimo illo philippo
macedone sua recepit alexandria,
totum hoc una die semel et simul an-
te currum triumphantis augusti terra
marique res publica aucta recepit.
In tantum autem opibus alexandrie
auctum ditatumque legitur non modo era-
rium, sed etiam forum rerum vena-
lium, ut rerum quecumque inibi venales ha-
berentur, duplicia quam usque ad id pre-
cia statuerentur. Proinde ex senatus
consultu statutum est, ut huius vic-
torie diem omnis romana nobili-
tas, omniumque ordinum dignitas quot-
annis festive celebraret sextilibus
kalendis, et ut hoc devocius fieret
firmiusque maneret, omni populo festi-
vum daretur epulum de publicis apo-
thecis et horreis. Hoc itaque ritu per-
petim ut videbatur assumpto, annis
singulis ea que prediximus die univer-
sa civitas coronata sollempnizabat.
et in theatris suis cesari augusto
tam adhuc viventi quam post ut
credebant deificato divinos hono-
res et triumphales plausus exhibebat.
Ipse quoque mensis in cuius capite
parta est victoria, cuius eadem die
quotannis replicabat memoriam,
antiquo nomine quod ei de nomi-
natum erat a numero, sextilis enim
dicebatur, quia sextus erat a martio,